



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

XI. Ecclesiae in dijudicandis S. scripturae libris, qui Canonici sint, qui non,  
auctoritas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

puli sequuti sunt, eo potissimum vt Purgatorium & Orationes pro mortuis exhiberent. E contra clarissimum illud Ecclesie lumen Sanctus Augustinus sanctos eos & Canonicos esse declarat, dum ait, (a) in Machabæorum libris legi sacrificium pro mortuis offerri solitum. Quamuis autem inter vetustos S. scripturæ libros seu Hebræos, seu Catalogo Esdræ insertos non reperiantur: tamen totius Ecclesie auctoritas clare demonstrat, Canonicos esse habendos, quum videamus inter *Preces quæ à sacerdotibus iuxta altaria fiunt, eam qua fit pro mortuis memoria, suum quoque habere locum.* Et Epistolam aliaque ex Machabæorum libris desumpta in diuinis Ecclesie officijs ab antiquis temporibus Apostolorum publicè legi. Nec melius alios libros, vt Iudith, Tobie, Hester, & Ecclesiastici, Lutherus tractat: quos in sermonibus suis Coniugalibus Iudaorum fragmenta, & nescio quas Tragedias & Comedias appellat. Adem ait, quæ de Iob scribuntur credere se non posse ita euenisse: sed fabulæ argumentum esse. *Librum Ecclesiastici, idem scurra inquit, similem esse equiti sine calcaribus & ocreis equo insidenti, nec quidquam præ se ferre quam calopodia quadam qualibus ipse in Conuentu Fratrum usus fuerit.* Quum Iustus Ionas eius discipulus, Tobie versione à se curatam exhibuisset: *Apoge, inquit, israhæ, mi Iona In hoc enim libello multa stulta & ridicula inueniuntur.* Sed & D. Iacobi epistola morsum eius effugere non potuit, *stramineam eam appellavit: immo hanc præcipue infectatus est.* tamquam in fauorem Pontificum & Pontificiorum cusam, nec à falso abstinuit, reponendo *cum pro sine.* Etiam S. Pauli ad Hebræos, S. Iudæ, tertiæ S. Ioannis, & secundæ S. Petri fidem derogabat, aens, nolle se eiusmodi Epistolas in suis Bibliis habere, sed permittere vt excludantur inde, & reiciantur. Nec S. Ioannis Apocalypsin plures quam Esdræ libros facere dicebat: immo vtrosque in profuentem se lubenter abiecturum. Quæ hæc est priuati hominis impudens confidentia & audacia, id unum velle damare quod a deo constanti totius antiquitatis iudicio & consensu receptum fuit & approbatum!

X. Quinam libri Canonici sint, qui non, Ecclesia suprenam semper & absolutam habuit diiudicandi auctoritatem ac potestatem: vt pote in qua Spiritus sanctus præsidem agit. Hanc potestatem S. Irenæus, Athanasius, Augustinus in scriptis suis passim inculcant & laudant. Et Ecclesia quidem iam dudum iudicauit quinam libri ad Bibliorum corpus pertineant, qui minus. Vide S. Clementem,

Anacletum, Hieronymum, Augustinum, Isidorum, Damascenum, & ante omnes S. Dionysium. Hos communis SS. Patrum consensus probat, solus Lutherus improbat; vtri credemus? Erasmus homo sæculi sui primarius, arrogantiæ hanc Lutheri ferre nequens *Demonstra nobis, inquit, Luther, te nouum esse Christum, qui talem in libros sacros habes potestatem.* Non minus libera grassandi in sacros libros vsus est Lutherus in versione Psalmodum, quos in modulos, sed liberissima, ac sæpe repugnante vero textus sensui, paraphrasi redactos, exemplo priscorum hæreticorum vulgo psallendos dedit: omissa etiam pulcherrima illa clausula, quam Ecclesia vniciue Psalmo, in memoriam victoriæ contra Arium, adiunxerat, nimirum, *GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITUI SANGTO;* quod forte ea Antitrinitarijs displicebat, quos in Germania & alibi latere, ac tempus tantum & occasionem sese ipsi adiungendi captare non ignorabat. Sic enim rationes suas instituerat, vt quisquis hostis Ecclesie, amicus suus esset. Hinc ad Bohemos scripsit, quod olim aduersarium se eorum professus sit, id inde factum quod Papam Antichristum esse nondum persuasum habere: eo quod eos quos initio damnauerat, postea pro amicis & fratribus se palam habere atque agnoscere, postquam nimirum certus iam sit, Papam Antichristum esse. Quid non audeat hic homo (vt ad vsurpatam ab ipso nefarie super sacris libris auctoritatem vel libidinem potius redeamus) quid non audeat qui nec à Dominica Oratione malam manum abstinuit, verborum ordinem antiquo Ecclesie instituto receptum perturbando? Pro enim eo quod hæc tenus precari homines solebant: *Pater noster qui es in caelis, Lutherus dici voluit, Noster Pater in caelo, Nomen tuum sit sanctum.* Tum etiam ad vltimam petitionem, Sed libera nos à malo, hanc clausulam adiungendo: *Quia tuum est regnum, & virtus, & gloria, in secula, Amen.* Pari impudentia & improbitate Angelicam peruertit salutationem. Loco enim, *Aue gratia plena,* posuit, *Aue gratiosa,* & in Germanica lingua, *Segrüsset seystu holdselige;* id est, *Aue digna amari.* Sic Lutherus diuinum verbum & S. Scripturam ludificabatur, vt ei nouam suam Ecclesiam quodammodo inædificate videretur. Cæremonias vero quibus illa vsa & partim etiam nunc vtitur, quinto libro descriptas dabo. Neque enim vna tabula tam multiceps ac multiformis diuersitas describi

a Lib. de cur. pro mort.



describi potest. Eoque singulari capite eas spectandas proponam: eam etiam ob causam, quod quorum etiam Sleidanum vel alios consimiles scriptores perlegerit, Lutherana tamen Ecclesiae faciem perspicere totam nullo modo possit.

QVOMODO LVTHERVVS EX  
omnibus veteribus hæresibus suam con-  
sarcinavit.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

- I. Ex quibus velut cemento & lapidibus Lutherus novam suam Ecclesiam edificavit.
- II. Hæresis Lutherana monstrata.
- III. Ex omnibus præteritorum temporum hæresibus consarcinata.
- IV. Lutherus Græcæ Ecclesie multa suffuratus.
- V. Conciliorum auctoritatem reprobat & spernit.
- VI. Notabile Erasmi Roterodami dictum sive de Luthero iudicium.

I. LVTHERO homini vel multæ lectionis ac laboris sponte, vel spiritu malo agitato per suggestionem vel in naturæ lapsæ miseris impressionibus hærenti, casu quodam facile admodum fuit omnium tam veterum quam recentiorum hæreticorum invenire vestigia ac persequi, eorum artes condiscere, exsculpere veritas, & argumenta, quamvis sæpe à SS. Patribus validissime profligata & delecta, rursus erigere & novo quasi cultu adornare. Prius fieri fuit possibile ex eo quod, licet ex tot librorum millibus quibus Mundum olim hæretici refererunt, non vna pagina auctorum ruinæ superstes manserit, nec illæ reliquæ vltices flammæ effugerint: multo tamen plura, eorum fragmenta & tabulæ velut huius naufragij apud S. Epiphanium, Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Ambrosium & alios qui Arianorum, Donatistarum, Pelagianorum, Marcionistarum, Manichæorum, aliorumque hæreticorum tam memoriam quam scripta condemnarunt, adhuc exstant & leguntur: quod fere aliter vis argumentorum, quæ contra ipsos adferunt, intelligi nequeat. Alterum fieri potuit facilius, ut pote Luthero se avidum præstante discipulum genio malo, uti ipse non semel est de se restatus, Tertius quoque

modus non est incongruus, nam sicuti civitas obfidione ad extremas famis angustias redacta, omnes cibos tam malos quam bonos absomit: sic Lutheri animus, odij contra Ecclesie caput veneno suffusus, omnia quæcunque ad propositam sibi vltionem quocumque modo spectare videbantur, ab antiquis Ecclesie eiusdemque capitis hostibus sine vlllo fere delectu, hinc inde arripuit & mutuatus est, quæ iam olim alij, Naturæ lapsæ ductum sine gratia securi excogitarunt. Ita ut nihil aliud reliquum esset operæ, quam ut tot modis dissoluta fragmenta rursus coagmentaret, & è veteribus illis centonibus bene defricatis atque interpolatis novam consueret vestem, ac tamquam astutus veteramentarius, pro nova venditaret: qua similitudine eleganter in hac eadem re Gallicus Poeta Ronfardus vitur, quam nos Latinis versibus ve potuimus, expressimus. Is igitur ita cavit.

*Ac veluti pauper Corydon, valde obsitus annis  
Panniq; ad ripam fluviij, aut post mœnia, sæda  
Sive Cloacina quocunq; in fornice, mille  
Colligit articulos frustillaq; stercore plena,  
Asportatq; domum, disponitq; ordine deinde  
Eluta, defricata & depexa reconsuit; & sic  
Centonem mira tandem consarcinat arte:  
Sic similis sunt cussa Lutheri dogmata Marte.*

Porro ad Ecclesie suæ constructionem Lutherus pleramque materiam ab antiquis hæreticis, uti diximus, mutuatus est, iam olim infamibus læsæ divinæ & humanæ Maiestatis iniustam, & à Concilij reprobaram. Tantum vero abest ut hærefeos nominis eum puderet, ut etiam in libro De Captivitate Babylonica (ut quidem libri Anno MDLII. Vitebergæ impressi habent) protestari non dubitavit, quam primum Monachus aut alius quicumque nonas ipsius hæreses refutare aggressus fuerit, se novam interea prociurū Hoc modo Lutherus in factido hæreticorū luto tamquã sus immunda se volutavit; & tamquã animantia quædam aliorum excrementis viuentia, ab vno hoc ab alio aliud desumpsit Et quemadmodum olim pictor nescio quis qui Trigidis corpori caput ouillū, dæres lupi, auriculas vulpis, oculos basilisci, cerui collū, vngues Leonis, alas struthionis, & scorpionis caudã appinxit, molestè ferens, quod eidem monstro Sirenum vocem addere non posset: sic Lutherus multis antiquis ac iam intermortuis hæresibus è sepulcro rursus excitatis atque in vnum conflatis, novum monstrum è plusquam mille diuersis formis compositum.